

De periculo cultrorum

Heri vesperi cum cepam dissecarem mente vagans cultro digitum laesi: statim guttae sanguinis ex vulnere stillantes cultrum atque cepam ornaverunt. Mihi ipsa magna voce male dixi; tum Davidem appellavi ut fasciam ad sanguinem sistendum afferret. “Te admonere ut caute cultris uteroris oblitus sum: eos heri acui.” “Gratias tibi: hoc iam animadvertisi.” Saltem vulnus non curam medici poposcit.

Decem ante annos cum David et ego institutum quoddam in Civitatibus Foederatis visitaremus, cultrum quasi novaculam emi, qui ad folliculum cucurbitae extrahendum mihi aptissimus videbatur esse. Pro dolor cultro lapso quadrae cucurbitae loco partem digiti exsecui. Vix oculis meis credidi, cum illam quadram digiti parte unguis ornatam inter quadras cucurbitae aspexi. Dolore excruciantia sum: nervos tenerimos unguibus operiri comperi.

David me ad valetudinarium duxit, ubi per multas horas exspectavi dum medicus vulnus curaret. Dolore ardens infirmariam rogavi ut mihi medicamen contra dolorem daret, sed frustra: se mihi medicamen dare non posse antequam medicus me inspectaret dixit. Sed post duas horas dolorem non iam sufferre potui: oeco praestolatorio aegrotis referto, magna voce clamare coepi dolore commota, quoad infirmaria mihi medicamen contra dolorem attulit ut silentium fieret.

Post tres horas medicus denique descendit ad mihi auxilium ferendum. Digitu brevi perscrutato, medicus materia quadam agglutinanti vulnus clausit et me domum dimisit: “Noli ullo modo curare: hoc enim modo vulnus celeriter sanabitur”. Sed scilicet vulnus non sanatum est nec celeriter nec aliter: post aliquot dies odorem putridum ex vulnera emitte animadvertisi. Medicaminum fortium operationem ad vulnus purgandum vitavi.

Cum collegis meis de tormento meo narrarem, omnes me rogaverunt num nihilominus illas quadras cucurbitae comedissemus.